APOPHORETON
Epuli nuptialis,

Quod

Reverendâ dignitate, dignâ pietate, piâ eruditione vir conspicuus DN.

SALOMON BLANCKIUS,

Ecclesiæ Thorunensis Pastor vigilantissimus;

Et

Lectissima integerrimaq; virgo

ANNA

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimiq; VIRI

MATTHIÆ BARTRAMI

Inclytæ Reipublicæ Thorunensis Regii quondam Burggrabii & PræConsulis meritissimi relicta filia,

in

mutuò datæ conjugalis fidei memoriam

Solenni festivitate parârunt & celebrârunt

THORUNII die 9. Februarii Anno M DC IL.

Typis Excudebat Michael Karnall.

Non ambi thalamum ſocialem! Grȩculus inquit,
Græcule ſi poteris rem ſtabilire vir es!
Quid dubitas? annon fœdisſima triga malorum eſt,
(Si neſcis dicam) fœmina, flamma, fretum.
Heu quantũ monſtrũ mulier! Simonide teſte
Fœmina cujusvis fons & origo mali eſt.
O bellè Macedo fœmellas eſſe malorum
Dixerat autores, atq; parare cruces!
Corda ſuperba gerens princeps muliercula morſu
Magnificas hominum dilapidavit opes.
Et decepta virum laqueis conſtrinxit, ab illâ
Sic didicit ſoboles illaqueare viros.
Quantus erat David, quantum Salomonis acumen!
Attamen hos mulier vicit iniqua dolis.

Quis cineres atros quis tot diſcrimina Troję
Attulit? hoc atrox fœmina fęcit opus.
Non igitur quæras ſociam! nam fœmina, quod ſit
Grande malum diſces, væ tibi quisquis habes!
Felix quem faciunt aliena pericula cautum,
Ne facienda putet quæ fugienda forent!
Græcule quo vadis? non vir ſed Graculus audis,
Te pravum pravè devius error habet.
Fœmellas omnes ad ſævam mittis olivam
Diogenis, ne te ſtringat oliva cave!
Non cum Xantippe cerebroſâ fœmina quęvis
Fulminat, ac pluvias præcipitare ſolet.
Longè aliter mulier pietatis quę petit arcē,
Illa columna domûs illa corona viri eſt.
Hęc ſpes, hæc requies, hęc eſt medicina dolorum,
Ambroſia & nectar tuta & amica ſalus.

Vili-

Vilius est illâ quicquid vehit aurifer amnis
Pactolus, quicquid parturit unda Tagi.
Illa domo propriâ ceu Sol splendore coruscat
Virtutum radiis fulget amicta novis.
Quis tam moratam detrectet ducere costã,
Quę tam munificas polliceatur opes?
Talibus ut semper gemmis Tua Nympha coruscet
Vir Reverende tibi pectore & ore precor.
Sit Tibi dulce decus, rebusq; levamen in arctis;
Insana absit Eris, candidus adsit Eros.
Nec dubium. Salomon si sis ac illa sit Anna,
Prosperius thalamo nil fore credo Tuo.

Gratulabundus applaudebat

Michaël Schelleberger T. B.